



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

51 Commutare quando poßit Episcopus legatum factum pro fundanda ecclesia, vel oratorio in certo loco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 90 Tertio, † fallit in legato pecuniae facto pro construendo monasterio, si pecunia à testatore relicta non sufficit ad monasterium construendum, quia tunc legatum in alium pium usum per Episcopum de consensu hæredis, & executoris testamentarii potest commutari, Innoc. in cap. nos quidem, num. 1. & ibi Abb. num. 6. de test. & Roma. conf. 409.
- 91 Quarto, † fallit in legato facto de fundando monasterio, ecclesia, vel oratorio in certo loco, vel ubi prius erat, & destructum reperitur, restaurando, aut reædificando, si id eodem loco fundari, reædificari, aut restaurari non potest, quia tunc Episcopus cum consensu executoris testamentarii locum pro ædificatione potest commutare, Innoc. in eod. cap. nos quidem, d. n. 1. & ibi Abb. num. 13.
- 92 Quinto, fallit, † quando relictum ad pias causas non potest ad usum destinatum per testatorem exponi, & simpliciter concernit piam causam, & non personam, quia tunc ad alium usum pium per Episcopum de consensu hæredis converti debet, cap. nos quidem, de testam. Zibarel. in clem. 2. quest. 3. de relig. dom. Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 53. num. 11. vers. hac autem justa. Bar. in l. pater. S. Tusculanus ff. de leg. 3. & Abb. in d. c. nos quidem, n. 14.
- 93 Dispensare autem possunt † Episcopi ab omnibus votis, in quibus eis facultas specialiter prohibita non reperitur gloss. in in cap. at si clerici, in ver. minora. vers. alia est magis communis, & ibi Innoc. de jud. gloss. in cap. ex multa, in verb. incumbit, & 58. ibi Abb. num. 10. de vot. & gloss. in c. nuper, in ver. non retinuit de sent. excom.
- 94 Prohibita † est Episcopis facultas dispensandi super quinque votis, nempe super voto perpetuæ continentiae, religionis, peregrinationis in Hierusalem, liminum Apostolorum Petri & Pauli, & S. Jacobi in Compostella, in quibus solus Papa, vel, qui ab ipso peculiarem facultatem habeat dispensare potest, extrayag. & si dominici gregis, 2. de penitent. & remiss. Navar. in cap. 12. num. 75. vers. secundò dicimus, tom. 3. & Graff. decis. aur. cap. 31. num. 21. par. 1. lib. 2.
- † Nec super voto solemniter emisso per facti ordinis susceptionem potest quis dispensare, nisi solus Papa, qui in voto solemniter per professionem tacto, si gravissima aliqua necessitas imminet, dispensare potest, † & de monacho potest facere non monachum, gloss. fin. circa med. in c. cum ad monasterium. & ibi Innoc. num. 4. & Abb. num. 21. de stat. monach. Paris. conf. 68. num. 148. vol. 4. Covar. cap. 2. num. 10. & 11. de test. Navar. d. n. 75. vers. quartò dicimus, & Graff. eod. c. 31. n. 22. & 23.
- Quidam enim † Remigius monachus, & sacerdos, & de sanguine regio Aragonum, deficientibus aliis ejusdem sanguinis personis, cum dispensatione Apostolica duxit uxorem, ex qua suscepit Petronillam, quæ successit in Regno supra Raymundo Comiti, & Marchioni, ex quibus ortæ fuerunt octo generationes illius domus Aragoniæ, ut post Io. Andr. in reg. semel. & Petr. de Anch. conf. 335. trad. Feli. in cap. si quando, n. 5. de rescrip. ubi plures citat, hanc opinionem sequentes.
- † Et mortuo in prælio de anno 1578. Sebastiano Rege Portugalliæ, nullis relictis legitimis descendibus, vel agnatis ad Regni successionem vocatis, super-

Alte: